



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Non peccasse contra Iustitiam, numero 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

vi tormentorum, vel ex simili capite, posse quæmpiam sine mortali falsum crimen de aliquo confiteri, modò is animum habeat, post tormenta refar- eiendi famam (adderem ego; modò fit certus moraliter, de facto refarturum) & modò non sequatur infamato aliud damnum, nisi mera illa parum duratura infamia. Ratio esse potest, quia infamia tam brevis durationis, tam parui ponderis est, ut non in vitus censendus sit, eam infamatus pati. Video tamen, hanc doctrinam sine alio damno, nisi meræ infamiae, ad breve tempus, in praxim deduci non posse, ac propterea vix præcisè sequendam.

c *Less. l. c. d. 8.*

Iusta querela.

27. Octavo denique excusantur à Joanne d laCrux ij, qui justè conqueruntur: si persona, inquit, secreto gra- viter injuriata, non valens se à dolo- re cohibere, in querimonias erum- pit publicas, non illico de peccato mortali damnatur, si injurians infa- metur; durum enim videtur, sic afflictum animum cohibere, ne in querimoniam prorumpat, cum hoc naturalissimum sit. Hæc ille, penes quem sit autoritas: ego enim potius hunc excusarem ex primis motibus, & ex involuntario &c.

d *Joann. la Crux in Direct. Confess. p. 8. qu. 2. art. 2. d. 3. conclus. 1. apud Dian. p. 3. tract. 5. res. 32.*

9. III.

Excusationes restituendi famam.

1. **N**eminem præterit, adesse obligationem restitutionis famæ, & damnorum realium, quæ ex se ab infamatione consequuntur proximo.

2. Et famæ quidem est restitutio personalis; at damnorum est realis;

3. Unde fit, ut hæredes infamati restitutionem damnorum temporalium petere possint, cum obligatio realis afficiat bona defuncti; non verò possint petere restitutionem famæ, nisi etiã & in ipsos infamia redundaverit.

a *Bonac. d. 2. de rest. q. 4. p. 16. n. 15. alijque.*

3. Non desunt tamen suæ causæ excusantes à prædictæ famæ restitutione, quas jam aggredior.

Non peccasse contra justitiam.

4. Excusatur primò à restituenda fama is, qui non peccavit contra justitiam. Quare quoties in superioribus & in consequentibus invenies, infamantem per suam actionem, externam solum peccasse contra charitatem, vel aliam virtutem, & non contra justitiã, toties eum non obligari ad restitutionem, pronuntiatio. Ratio satis est dicta superius, cum de restitutione.

Non graviter læsisse.

5. Secundo excusatur item à restitutione